DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

FEBRE HECTICA.

Mackenzie (K.)

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

FEBRE HECTICA:

QUAM

ANNUENTE DEO O. M.

EX AUCTORITATE REVERENDI VIRI

D. GULIELMI WISHART S. T. D. ACAD. EDIN. PRAEF.

NEC NON AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS ERUDITORUM EXAMINI SUMMITTIT

KENNETHUS MACKENZIE, Scoto-Britannus.

AD DIEM IV. KAL. JUN. HORA LOCOQUE SOLITIS.

Τῶν ἐλευθερίων δὲ τεχνῶν Ἰατρικὴ, τὸ μὲν γλαφυρὸν, καὶ περιττὸν, καὶ ἐπιτερπες, ἐδεμίας ἐνδεέστερον ἔχει, θεωρικὸν δὲ μέγα τοῖς φιλομαθοῦσι τὴν σωτηρίαν, καὶ τὴν ὑγίειαν, ἐπιδείκνυται.

PLUTARCHUS.

Surgeon-General's Office
LIBRARY.
49784

EDINBURGI,

Apud T. & W. RUDDIMANNOS M. DCC. LI.

D. D. C.

D. IACOBO MACKENZIE

PRAESTANTI VIRO,

D. JACOBO MACKENZIE,

APUD WIGORNIENSES

MEDICO CELEBERRIMO:

OB INGENIUM, DOCTRINAM,

MORUM ELEGANTIAM,

ARTIS MEDICAE PERITIAM,

OMNESQUE ALIAS ANIMI FACULTATES

QUAE HOMINEM ORNANT,

CONSPICUO:

PATRONO SUO SUMMOPERE COLENDO:

HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS,

IN ANIMI PERPETUUM ADDICTI TESTIMONIUM,

D. D. C. Q.

KEN. MACKENZIE.

PRAESTANTI VIRO,

D. JACOBO MACKENZIE,

DISSERTATIO INAUGURALIS,

MEDICO-CHIRURGICA:

DE

FEBRE HECTICA.

INTER varios morbos qui genus humanum infestant, quos Arbitrio Medicorum Tribunal [illegible]

[illegible] quando hic morbus primarius, [illegible] tractatur.

[illegible] tonus, quæ alterum morborum [illegible] postea

Febris continua, lenta, calore naturali [illegible] majore, [illegible] cum urinis copiosis [illegible] Pulsu celeri, parvo ac frequenti; quæ frigoris [illegible] aliquot a paucis horis, cum [illegible] insolito, [illegible] vehementi, [illegible] tremore, cum facie [illegible] pallida, [illegible] interdum [illegible] vel partibus [illegible] brevi [illegible] accedit, [illegible] horis recurrit.

D. D. C. C.

Novem [illegible] ab [illegible], quin [illegible] corpora [illegible] ut [illegible]

KEN. MACKENZIE.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

FEBRE HECTICA.

INTER varios morbos qui genus humanum infeſtant, nullus forte ſaevior, aut popularibus noſtris infenſior, quam febris hectica: de qua pauca quaedam hic proferre liceat; a pleriſque enim autoribus, quaſi aliorum morborum ſymptoma potius, quam morbus primarius, fere tractatur.

FEBRIS continua, lenta, calore naturali majore, cum notabili corporis tabe, et pulſu debili, parvo ac frequenti; quae ſingulis diebus aliquot a paſtu horis, cum anxietate inexplicabili, circa veſperam plerumque exacerbatur, cum faciei manuumque rubore, et reſpiratione gravi; cui vomica, aut ulcus in viſceribus internis, vel partibus externis, cum magna virium imbecillitate, ſaepius accedit, *febris hectica* vocatur.

NOMEN ἑκτικὴ audit ab ἕξις, *habitus*, quia in habitu corporis ita fixa eſt, ut omnes ejus partes tenten-

tur et emacientur. Quando tuſſis, materiae purulentae, et non raro ſanguinolentae, rejectio, et ſpirandi difficultas eam ſimul comitantur, *Phthiſis pulmonalis* morbus appellatur.

In hujus febris progreſſu ſequentia ſymptomata plerumque ſeſe offerunt :

Pulsus parvus, frequens ac debilis eſt in primo morbi gradu, ſed paulo poſt paſtum altior atque celerior fit. Calor praeſiccus, ſqualidus, ſine dolore plerumque aequalis; increſcere tamen ſolet hora una aut altera poſt ſumptum cibum, cum caliditate, faciei manuumque rubore; quo concocto, febris ad priſtinam aequalitatem redit. Primo, calor mediocris atque obſcurus occurrit; ſed tandem, ſub longiore mora, magis acris et mordax fit; et ſaepius cum moleſtis doloribus per totum corpus. Febris in hoc ſtadio Remittentem quodammodo refert. Cutis vehementer arida, corpus ipſum imbecille et languidum evadit.

Uti morbus augetur, ſymptomata varias facies induunt, ſecundum diverſas ejus cauſas. Si oriatur ab obſtructione aut vomica in pulmone, pathognomonica ſigna erunt reſpiratio gravis, ponderis ſenſus, cum levi atque languido dolore in pectore, qui in larga inſpiratione magis ſenſibilis eſt: tum raucedo, tuſſis difficilis,

et

et primo arida; quam sequitur horror vagus, cum saniosi, purulenti et glutinosi puris expectoratione; saepiusque sub finem, sanguinis sputum cruentum, et ingens corporis perturbatio.

Quando morbi sedes intestinorum, vel mesenterii glandulas occupat, torminibus acutissimis, flatibus, alvi constrictione, omnibusque coli doloris symptomatibus laborat aeger.

Si glandulae renales afficiantur calculo renis, et nephritidis affectibus, consimilia sunt signa. Cum hepar aut lien morbosi sunt, tum icterum et morbos hypochondriacos refert morbus. Et sic de ceteris.

Sed in ultimo hujus febris stadio, et ab quacunque causa oriatur, aliqua sunt symptomata, quae semper fere eam comitantur; diarrhoeae profusae et sudores nocturni, (colliquativi dicti, quia totum corpus colliquant et macerant) magnum urinae tenuis, et telis araneorum persimilis, profluvium; pedum tumefactio; pulsus tensus ac frequens, debilior tamen atque minor, quam in priori febris gradu; cutis quoque magis nunc dura et arida est. Juxta mortem, haec nota sunt, cavantur oculi, et ossa quae circiter sunt prominent; tempora collapsa conspiciuntur; palpebrae aegre moventur, crebroque ac si homo dormiret, sine somno

mno tamen, connivent [a]; frons dura, intenta et arida; facies ſqualida et plumbea, Hippocratica dicta; venter quaſi inanis, depreſſus atque contractus; reliquumque corpus ita aridum et marcidum eſt, ut nihil praeter oſſa membranis et cute obducta, videatur: et ſic funeſtam hanc tragoediam conficit mors.

CAUSAE hujus morbi ſunt variae, tam remotae, quam proximae.

INTER cauſas proximas, vel προηγούμενας, enumerari poſſunt: 1mo, Laxa et nimis debilis ſolidorum compages, atque fluidorum nimia tenuitas et acrimonia. Cor enim et arteriae, quando in ſua ſyſtole vi ſufficiente non gaudent ſanguinem in magna ſatis copia uno ictu propellere, citius iterum ad repetitas contractiones ſtimulantur. 2do, Obſtructiones quaelibet in viſceribus aut vaſis, ut hepate, pancreate, liene, meſenterio, pulmone, &c. de quibus plurima exſtant exempla apud Bonetum [b]. Quando enim arteriolae minimae in aliqua corporis parte obſtruuntur, ſanguis, dum per reliquas libere fluit, per has tranſire nequit; hinc major erit humorum accumulatio, et cor ad frequentiores motus excitatur. Apud infantes enim ſaepe oritur a chylo & ſero viſcido in meſenterio congeſto, glandulas

[a] Lommius obſerv. med. lib. 1.

[b] Sepulchret. anatom. lib. 11. ſect. 1.

las meſenterii obſtruente; ita ut chylus ad ſanguinem rite pervenire nequeat: hinc ſanguis nimis acris redditur, et venter plerumque ab his et inteſtinorum laxitate intumeſcit, dum corpus febre hectica et tabe conſumitur.

3tio, ABSCESSUS, vel exulcerationes, in partibus tum internis, tum externis; et inprimis in pulmone, aliiſque viſceribus nobilioribus [c]. Quando enim pus in loco clauſo et calido diutius continetur, incipit ſenſim tenuius fieri, et ſimul acrius; cumque venulae reſorbentes patulis ſuis orificiis, in tota ſuperficie cavi, quo pus continetur, hiant; illud ab his reſorbebitur, ſenſimque reliquae ſanguinis maſſae admiſtum, purulentam cacochymiam efficiet. Unde acrimonia ſanguinis inflammatoria peculiaris, febriculam lentam, perpetuam, et corpus depaſcentem excitans. Nihil in rerum natura ſanguinis craſin tam ſolvit, et mutat, quam pus; mollem enim et blandam ejus qualitatem in ichoroſam et acrem convertit; totumque corpus exhauritur et emaciatur, dum acrimonia ſua cor et vaſa perpetuo ſtimulat.

CAUSAE ad hanc febrem praediſponentes, προκαταρκτικαὶ dictae, ſunt:

[c] Vid. Bonet. ut ſupra.

1mo, OMNES evacuationes nimiae; ut profluvium nimium ſudoris, urinae, catameniae, vel lochiae; dyſenteria diu permanens; haemorrhagiae ex qualibet corporis parte, &c. hae enim ſubducunt e corpore illa, ex quibus perditorum reſtauratio perfici debet; adeoque deficiet nutritio: hinc oritur laxitas, fluidorum lentor et acrimonia, totiuſque corporis debilitas.

2do, FEBRES continuae vel intermittentes, aliique morbi inflammatorii male curati. Quibus fit, ut humores viſcidi, craſſi, pituitoſi et ſeroſi, hinc inde cogantur, haereant et quieſcant; quae ſaepius in viſceribus, et non raro nobilioribus, obſtructiones pertinaces producunt, ſi per propria remedia prioris morbi materia nondum ſatis digeſta, correcta aut evacuata fuerit.

3tio, LARGUS uſus potuum calidiorum et inebriantium; ut vini, ſpiritus vini ardent. &c. Experimentis enim chemicis novimus, alcohol vini ſanguinem ejuſque ſerum coagulare, parteſque corporis ſolidas indurare [d]. Unde miſeris illis, qui his potibus nimis indulgent, ſaepe peſſimae obſtructiones naſcuntur; imo, aliquando poſt mortem eorum viſcera penitus ſcirroſa, et quaſi petrefacta reperta fuerunt [e]. Haec ſolidorum tonum,

[d] Boerhaav. elem. chem. tom. 2. p. 353.
[e] Hiſt. academ. ſcienc. l'an. 1706.

tonum, atque fluidorum crasin destruunt; hinc minor erit vasorum actio in liquida, et vice versa; adeoque minus perfecta ingestorum assimilatio. Inde corpus debile, cachexia, cacochymia, febris hectica, omniaque illa mala, quibus se exponunt, qui spiritibus istis fermentatis adeo abutuntur.

4to, VENUS nimia. A venere enim nimium culta sanguis vehementer incalescit, nimisque acer et fervidus redditur; inde febricula continua, lenta excitatur; corpusque tabescit et turbatur. Profusa enim seminis ejaculatio magnum spirituum animalium dispendium facit: hinc omnes vires labescunt; videndi facultas amittitur; et tabes dorsalis inducitur: haecce enim tabes sic a veteribus appellabatur, quia spinae medullae atrophiam putarunt morbum esse; nam in dorso aut lumbis simul dolores, et insignem debilitatem, eo laborantes sentiunt: et iis frequentius accidit, qui a prima juventute in castris venereis militaverunt. Hanc tabem Hippocrates olim satis fuse descripsit [f], et non raro apud recentiores occurrit. Illi enim qui praematura et immodica venere corpus exhauserunt, debiles et morbosi vivunt. Et uti Celsus dixit, ' Concubitus rarus cor-
' pus excitat, sed frequens solvit [g].'

5to, AF-

[f] Hippocrat. de morb. lib. 2. sect. 5.
[g] Cels. lib. 1. cap. 1.

5to, AFFECTUS animi triſtes. Nihil enim genus nervoſum magis debilitat, aut ſolidorum tonum relaxat, quam moeſtitia nimia: inde fluidorum lentor; pulſus debilis ac frequens; digeſtio prava, (nam ventriculi vires nullae pene ſunt) chylus crudus et viſcidus, &c. Hinc ſanguinis circuitus per vaſa minima retardatur, quod lentorem praeternaturalem, deinceps creat: et hinc febris hectica et lenta. Sanctorius ſaepius contra triſtitiam monuit; ſed docuit nihil magis perſpirationem liberam reddere, quam animi conſolationem [h]. Et obſervavit Mortonus, illos homines qui timori, moerori, irae aut triſtitiae nimiae indulſerunt, illoſque qui malis hypochondriacis vel hyſtericis laboraverunt, a funeſta tabe et febre hectica in periculo eſſe [i].

OBSERVATU dignum eſt, homines mollioris, rarioriſque corporis habitus, et qui genere nervoſo valde mobili gaudent, maxime huic morbo obnoxios eſſe. Quum enim eorum fibrae ſummae ſint tenuitatis, atque texturae delicatulae, ex abuſu, vel ulla rerum nonnaturalium mutatione, corporis conſtitutio citius perturbata erit. Hinc viſcida atque morboſa humorum conditio, et obſtructiones viſcerum, quae febris hecticae et purulentae fundamenta jaciunt.

DENI-

[h] Sanctor. aph. ſtat. n. 457, et ſeqq.
[i] Morton. de phthiſ. lib. 2. cap. 1, &c.

DENIQUE haec febris saepius originem suam trahit a plurimis aliis morbis, qui sanguinem nimis acrem et tenuem reddunt, uti plerumque contingit in scorbuto, ictero, hydrope, calculo, &c[k].

HIS itaque absolutis, nunc de symptomatum ratione paucis dicendum est.

PULSUS parvus ac frequens. Hoc primum est signum ad febrem hecticam proclivitatis, et a diversis causis oriri potest, ut 1. Ab obstructione in aliqua corporis parte; quando enim sanguinis motus in hac parte obstruitur, ejus cursus per reliquas magis citus arctusque fit: hinc pulsus accelcratio. 2. A vasorum nimia laxitate; inde sanguis minore resistentia per vasa minima transit, atque ejus recessus ad cor dextrum stato tempore velocior; sed in minori quantitate: inde pulsus frequens et debilis. Ob hanc causam etiam homines laxiores, vel dormientes, feminae et infantes, pulsum habent magis mollem ac celerem quam alii. 3. Profusa ulla sanguinis evacuatio pulsum quoque accelerat, uti satis constat ab experimentis ingeniosissimi Halesii[l]; haec enim obstaculum in vasis partem removet, inde minor resistentia ad cordis et arteriarum actionem; et, quod

[k] Vid. Bonet. loco citato.

[l] Haemastat. exp. 1, 2, 3.

mirum videtur, ſaepius contingit poſtquam corpus a diarrhoeis et ſudoribus fere totum conſumitur. Denique a ſuppuratione vel apoſtemate hoc ſymptoma ſaepiſſime naſcitur, a pure acri et ichoroſo, venoſis oſculis reſorpto, atque cor et vaſa ad frequentiores motus perpetuo ſtimulante. Sumptis epulis, praeſertim veſpertino tempore, magis exacerbatur, cum majore ſpirandi difficultate; quia tum ventriculus plenus, aortam inferiorem comprimens, curſui ſanguinis deorſum repugnat; qui hinc celerius verſus cor redit: ſed hoc praecipue pendet a larga copia chyli crudi in maſſam ſanguineam recepta, dum pulmones et vaſa tam laxa ac debilia ſunt; hinc non cito ſubigitur, ſed propriam ſuam indolem diu retinens, vaſa dilatat, plethoram creat, atque obſtaculo ſuo aut ſtimulo febrem auget.

Calor praeſiccus, ſqualidus. Oriri videtur, uti in febribus acutis, a rapido fluidorum motu, eorumque attritione et frictione in canalium latera, et in ſe mutuo; dum omni momento fluidorum motus in partibus directionem mutat. Sed in hac febre calor minor eſt quam in acutis, ob fibrarum laxitatem, et ſanguinis ſolutam compagem. Augetur poſt paſtum cum faciei manuumque rubore, quia tum motus globulorum inteſtinus, attritio et rarefactio aucta ſunt: hinc ſanguis ruber vaſa ſeroſa intrat, et inflammationem quandam ab errore loci inducit. Poſtquam vero chylus totum ſolutus

lutus est et subactus, aeger ad eundem caloris statum, in quo fuerat ante assumptionem cibi, redigetur, et in eo perseverabit ad cibi iteratam assumptionem. Uti morbus crescit, calor augetur cum molestia et dolore: omnes enim humores magis acres fiunt a pure ichoroso perpetim in sanguinem recepto, vasorum tunicas stimulante, erodente, et fluidorum crasin solvente.

Cutis ariditas fieri potest, partim a partis tenuioris sanguinis per calorem dissipatione; partim etiam quia, ob fibrarum laxitatem, impeditur earum actio in fluida; hinc vasa minima subcutanea, immeabili sanguine repleta tenerrima exhalantia comprimunt.

Quando purulenta cacochymia afficitur sanguis, nunquam fere liberi sunt pulmones; et quandocunque suppuratio in cellulosa eorum substantia nascitur, major puris quantitas semper colligitur, et difficillime sanatur. Inde phthisis pulmonalis in hisce regionibus tam frequens et lethifera.

Sudoris, lotii, et alvi profluvium, denotat sanguinis nimiam tenuitatem atque acrimoniam, et fibrarum magnam debilitatem. Vasa enim cutis exhalantia, glandulae intestinales et renales adeo dilatantur atque ampliantur, ut omnes hi humores facile per eas ruant. Sudores per noctem plerumque fluunt, quia tum a somno

mno et lecti calore ſanguis magis eſt rarefactus, ejuſque motus augetur; dum eodem tempore ductus perſpirabiles multum relaxantur. Urinae tamen et alvi fluxus diurno tempore magis exacerbatur, ob pororum a frigore conſtrictionem; inde humores in majori copia ad inteſtina et renes revertuntur.

PEDUM tumefactio pendet a fibrarum laxitate, eorum ſitu perpendiculari, et a corde diſtantia.

RELIQUA facile intelliguntur ab hujus ſaeviſſimi morbi natura, qui totum corpus ſaepius ita conſumit atque tabefacit, ut ad meram hominis umbram tandem hi miſeri redigantur.

NULLAE febres hecticae ſunt ſine periculo; prae omnibus tamen hae, quae ſcirrhum, vel ulcus quoddam grave, in viſcere nobiliori, praeſertim in pulmone, conjunctum habent. Si vero adhuc ſunt recentiores, ſi vires ſatis conſtantes, viſcera ſatis ſana, vel ſaltem non nimium corrupta, et ſanguis adhuc non multum contaminatus, de illarum curatione non eſt deſperandum; ſi medicus et aeger ſimul bene ſuum praeſtent officium. Juniores homines hecticae febres citius jugulant, quam ſeniores.

IN hujus morbi curatione, uti in omnibus aliis, ad

cauſas

cauſas ſemper probe eſt reſpiciendum, et ſecundum has therapeia prudenter eſt inſtituenda:

Adeoque ſi a nimia fibrarum laxitate, et fluidorum tenuitate, ſolum oriatur, ſine ulla obſtructione in viſceribus latente; tum indicatio curatoria manifeſte erit naturalem vaſorum vigorem atque elaſticitatem, ſanguiniſque et humorum propriam craſin reſtituere et conſervare. Ad hunc finem, prius neceſſarium forte erit, revulſionem aliquam a partibus affectis facere, atque humores viſcidos et inutiles a primis viis eliminare, ope cathart. vel emetic. lenium, ſecundum morbi naturam et aegri vires: quo facto, remedia corroborantia, incraſſantia et alterantia adhibenda ſunt, cum apto vitae regimine; ut cort. Peruvian. emulſ. Arabic. tinct. antiphthiſ. gelatin. viperin. et corn. cerv. diaeta lactea, &c. Exercitatio moderata, balneum frigidum et frictio, quando aegri vires permittunt, ad hunc finem quoque non parum conducunt.

Quando a tuberculis vel congeſtionibus in viſceribus morbus originem trahit, methodus medendi variatur, ſecundum obſtructionis ſedem et naturam. Si ad inflammationem tendant, cum pulſu magis duro et veloci; venaeſectio, clyſmata blanda emollientia; remedia antiphlogiſtica, diluentia, attenuantia, et leniter refrigerantia proſunt. Si viſcidae, mucoſae, vel ſcirrhoſae

ſunt; incidentibus, reſolventibus et blandis diaphoreticis digerendae ac reſolvendae ſunt: ut infuſ. vel decoct. vegetabilium attenuantium ſaponaceorum, ut rad. Chin. herb. taraxac. cichor. ſcabioſ. tuſſilag. &c. bis terve in die, ad unc. oct. vel dec. uſurpatis. Spirit. minder. Tart. regenerat.-vitriolat. huic ſcopo egregie etiam contribuunt. Si obſtructiones hae a ſaburra magis viſcida ortae ſint, praedictis adhuc penetrantiora, amara reſolventia, et blande evacuantia ſunt ſubjungenda aut interponenda, ut pil. ex gum. ammoniac. cum ſap. myrrh. et al. aliave his ſimilia caute exhibenda.

In infantibus. Quando oritur, uti ſaepius contingit, a chylo viſcido, lumbricis aut rachitide; laxantia lenia, antihelminthica amara vegetabilia, et mineralia, prudenter adhibenda ſunt. Externe, quando tumet abdomen, conducunt emplaſtr. calida reſolventia, balnea cum herb. aromaticis parat. et motus.

His adjungenda frequens corporis exercitatio, et in primis equitatio; potus ſufficiens tenuis et aquoſus; victus facilis digeſtionis, et modice nutriens, ut omnis generis bona juſcula, pultus tenues, aliave lacticinia tenuia.

Si abſceſſus in culpa. Omne ulcus plus aut minus eſt periculoſum, ſecundum partis naturam, et functionem

nem quam occupat. Sic vomica in pulmone omnium pernicioſiſſima eſt, ob texturam ejus ſpongioſam, mollem, et perpetuum motum in reſpiratione; quae omnem continuitatis in hac parte ſolutionem fere inſanabilem reddunt. Ulcera quoque in renibus vel veſica urinaria difficillime curanda ſunt, ob perpetuum urinae fluxum, quae vaſculorum tenerrimorum oſcula lacerata conſtanter ſtimulat, et liquidi balſamici nutrientis affluxum prohibet.

Indicationes medicae hic ſunt; 1mo, Incrementum morbi impedire. 2. Symptomata graviora mitigare. 3. Fluidorum acrimoniam temperare et obtundere. 4. Ulcus mundare, abſtergere, conſolidare. 5. Vires aegri reſtaurare et conſervare.

Ad primam abſolvendam, medicamenta leniter aperientia, et grate acida, vulneraria, et balſamica lenia, niſi diarrhoea eorum uſum contraindicet, maxime conducunt, ut rad. gramin. petroſelin. fol. agrimon. heder. terreſt. lign. ſaſſaf. Chin. glycyrrhiz. fruct. tamarind. et manna, &c. omni forma diu uſurpata.

Secunda ſpectat indicatio ad ſymptomatum lenimen; inter quae diarrhoeae et ſudores praeſertim in ultimo morbi ſtadio, calor et tuſſis maxime saeviunt. Sudores iſti non vi ſupprimendi, ſed frigore moderato, reme-

remediis leniter refrigerantibus et grate acidis, et diaeta lactea, caute prohibendi sunt.

DIARRHOEA, quae plerumque periculosa est, emuls. Arabic. pulv. cer. decoct. alb. tinct. rhae. amar. opiat. &c. prudenter est refrenanda.

TUSSIS in his febribus, quando pulmones afficiuntur, vehementius aegros affligit; ad quam leniendam, infusa pectoralia, lac ammoniac. elix. pectoral. *Ph. Ed.* &c. pro re nata conducunt; sed caute adhibenda, ne diarrhoeam excitent vel augeant.

AESTUS nimius sub exacerbatione temperatur sero lactis, sal. nitr. et potu diluenti acidulato.

SANGUINIS et humorum acrimonia corrigitur medicamentis et diaeta, quae spicula acria obtundunt et molliunt; atque fluida replent particulis blandis balsamicis et demulcentibus; ut emulsionibus, gelatinis, sero lactis, vel lacte ebutyrato, capell. aut asin. succ. viperin. &c.

AD ulcera mundanda, omnia abstergentia, detersiva, et vulnerantia balsamica conveniunt; ut balsam. et terebinth. nativ. cum vitell. ov. subacta, sed parca copia et cautissime, ne fibrim augeant. Decocta vel

infus.

infuſ. ex vegetabilibus expectorantibus atque traumaticis, ut rad. irid. flor .alth. fol. malv. helen. &c.

FONTICULI quoque et ſetacea, uti humores vitioſos evacuant, et revulſionem faciunt, egregios praeſtant effectus.

DENIQUE, ad corporis vires refocillandas et conſervandas, ſola ſpes eſt in diaeta lactea bene nutriente, moderato corporis exercitio in aere ſicco et modice calido; balneis et frictionibus caute exhibitis. Et nihil magis ſtudendum eſt per totum morbi curſum, quam alimenta grata, in parca copia, ſed ſaepius repetita, adhibere.

FINIS.